





IUSTA EXEQVIALIA  
Super funere

*Magnifici, strenui, nobilissimi, litte-  
ratissimiq; viri,*


DN. LVDOLPHI AB  
ALVENSLEBEN, HEREDI-  
tarij in Zichtow & Kalbe/ anno clima-  
terico ætatis LVI. ad v. Nonas Quin-  
ctilis in Zichtow pie denati, & ad ix.  
Calend. Sextilis hu-  
mandi.

SCRIPTA à  
TOBIA FERASIO Crosnâ-  
*Silesio, Pastore Bezendorffiano in  
Paleomarchia.*

HELMAESTADI,  
Typis IACOBI LVCI, Anno  
Epoches nostræ 1610.





  
Auitæ & Patriæ virtutis & pietatis AEmu-  
lis, magnæ spei Adolescentibus  
Nobilissimis,

DN. IOACHIMO WERNE-  
RO, LEVINO LVDOLPHO, ET  
BVSSONI, FRATRIBVS AB ALVENSLEBEN  
in Zichtow & Rasbe Hereditarijs, LVDOLPHI  
p. m. Filijs suauissimis, relictis  
Orphanis;

*Insimul*  
*Nobilissima, & lepidissima virgini,*  
ANNÆ ELISABETHÆ AB  
*Aluensleben eiusdem b. m. Filia*  
*relictæ.*

Fautoribus & promotoribus suis in  
debitæ *συμπαιδείας* Symbolum  
*offerri, dicatq̃.*  
AVTOR.

**M**E virtutis amor: Me Magni gloria Patris:  
Præstita me stimulant Fratri benefacta IACOBO,  
Quem terræ excludunt diuortia longa remotæ:  
Me pietas iussit monumenta hæc ponere. Vos ô  
Accipite æquo animo testantia symbola mentem.





Riste ministerium persolvere cogimur! eheu  
 Præfica ferales indulge Nænia planctus,  
 Tristitiæ & signo funestâ obnubere taxo.  
 Ibitur in querulos numeros, lacrumasq; decetes.

Quantum Culpa malum est, vt tantam inferre  
 Humano valeat generi, quæ respuat omnem (ruinam  
 Artificem in terris medicinam! Debit ire!

Debit ire Decus Themidos palmare Ludolphus.

Sidus Nobilium, Lux Aluenslebiga, Magni

Degener haud Soboles IOACHIMI (cuius ad astra

Nota fides, studijs nunquam morituraq; fidis

Tessera, quam Procerum vallis iam seruat in vsus

Communes, studijs qui famam extendere certant)

Debit ah! saltem ah communi more, modoq;

Isset, ceu reliqui, nec TRIMO FVNERE, mille

Morborem affluxu, & conflictu! In funera namq;

Huius, iurasses conspirauisse dolorum,

Morborem, & genera omnia. (Sic persæpius ipsum

Conquestum audimus.) quorum vel Singulus vnum

Debellasset, humi & prostrasset clade misellum.

Longa dies grauiora facit mala, Constantemq;

Expungnat diuturna animum vis; Nec tamen huius

Expugnari animi potuit constantia, Christum

Quæ fundamenti vice, spe melioris, habebat

(In cineres abiit quanquam mortale cadauer,

Quo mortis soluit stipendia debita culpæ)

Quæ CHRISTVM fundamen habet Spes nulla labascit.

Dispereant cœli, tellusq; profunda fathiscat,

Deficiant vires, carum & labatur humi cor;

Spes tamen in Christo, medio sub agone triumphat.

Amplior in laudes se pandit ianua nobis,

Diue Ludolphe, tuas. Nec enim nos pectora bruta

Hic gerimus: nec tanta decet benefacta silere,

Et simul in gratam in foueam sepelire merentes.

A 2

Stirpe

Ioachimus ab Al-  
 uensleben p.m. hu-  
 ius Ludolphi pa-  
 rens instruxit insi-  
 gnē bibliothecam,  
 quā Scandalia iam  
 crediderunt Biblio-  
 thecario Dn. Caspa-  
 ro Zachero Mon-  
 sterbergensi Sibeso

”  
 ”  
 ”  
 ”  
 ”





„ Stirpe bona nasci laus est aliena: aliena  
„ Est vita: est aliena q; lux; nisi propria laus, lux,  
„ Vita superueniant. Aliena, & propria laus, lux,  
Vita, Ludolphe, tibi concessa est munere Cœli.

*Pater Ioachimus  
at Aluensleben eu-  
sue supra facta est  
mentio.*

Virbius in laude est Genitor I O A C H I M V S, ad æthram  
In Christum, sanctamq; fidem constantiæ, in artes  
Munificæ dextræ, in Gnatos animiq; paterni  
Ut notus notissimus. Hinc quoq; triplici dignus  
Vita, naturæ qua functus, nomine, cœlo.  
Non verò hæc tua sunt, aut vix sunt (semina prima  
Ignis ut in silicum sunt venis) propria Patris  
Illa tui sunt. Sunt tua, queis clarescere, nomen  
Et proprium virtute Deus concessit habere.

„ Nolite ô iuvenes aliena viuere laude  
„ Maiorum; propriam conquirite: Luce & ocellis  
„ Maiorum nolite videre; accendite vestras  
„ Lampadas, & propria virtute nitescite. Vobis  
„ Ars anniq; sinunt, nec hebes depressat Egestas.

Ingenijnè prius mirer, studijue viarum  
„ Diue Ludolphe tui? Musas plerumq; fluentes  
„ Diuitijs spernunt, ut rarò dentur in vno  
„ Ars & diuitiæ. Iucundâ scilicet aurâ  
„ Luxuries fallit, quæ effœminat acrius herbis  
„ Pectora Circeis, animum spoliâtq; virilem.  
„ Ut certè virtus sit maxima, solaq; virtus,  
„ Abstinnisse bonis placitis: vitare soporem  
„ In plumis: Studia inter opes coluisse. Putabam  
„ Pauperibus saltem didicisse fideliter, illud  
„ Esse datum calcar, quò victum inquirere possent.  
„ Rarum igitur, (verè rarum!) est, si diues in illam,  
„ Ac si sit pauper, se sortem tradit, & arctat,  
„ Et sudat solidum studijs acquirere nomen.  
„ O vos ô socij, quos res angustat, vbi vos,  
„ Si vobis dites studijs præcellere certant,  
„ Figetis demum sedes? vos stertitis? En hi

Euigi-



Euigilant, solidas & tractant gnauiter artes.  
Totos nempe dies, totas noctesq; Iuuentæ  
Protrahere in requie, studijsq; illudere, turpe est!

Inspicite hic studia, & studijs proponite vestris  
Archetypum, pigris & subdite calcar asellis.  
Non dicam, quæ domi studia imbibit Infans.  
Patrius hic oculus, vigiles hic cura lucernas  
Accendit, tenuitq; metus; Sed dicere tantum  
Illa libet, patrio quæ carcere liber, habenis  
Excussis patriæ ferulæ suscepit, & egit.  
Egit honesta puer, ferulæ formidine, sæpè;  
Turpia sed demum, formidine liber ab illa,  
Iuris nempe sui quando se credidit, egit.

ET QUID NON HOMINI LVXATA LICENTIA SVASIT?

Primitias studijs exotica lima LVDOLPHI  
Expolijt IENAE, quæ à flumine dicta Salana.  
Et fortasse manus solidi fundaminis ipsa  
Tunc admouisset, nisi captum opus, anxia Mater,  
Rupisset Pietas. Per leuia pectora virus  
Labitur heu facilè & tacitè, nisi prouida cura  
Obstet principijs, & flammæ sopiat imo  
In cinere, & visum præ limine conterat anguem.  
Noluit impigrum verò latuisse Paterq;  
Ingeniumq; domi, sed trans excurrere Rhenum,  
Et studia & mores aliorum inquirere iussit.  
Vidit opes animi mirata COLONIA, & auxit  
Fidam adhibens studijs operam, monitusq; salubres.  
Hinc aucturus opes animi, Iurisq; latebras  
Scrutaturus adit penetralia docta LOVANI.  
Sed non concessum est in pace hic viuere, bello  
Inuadente, abijt libris & veste relicta.  
Verùm tanta sitis studiorum cepit, & ardor,  
Duceret vt nihili tria pellustrasse Licéa,  
Quarta DOLAE libuit lustrare, sacrosq; recessus  
Rimari, & varias animi corradere gazas,  
(Institor vt varijs se mercibus instruit) vt sic

»  
»  
»  
»  
*Educatio & studia  
innocentia.*

»  
»  
»  
»  
»  
»  
*Studia Academica  
1. Iena ad Salam.*

»  
»  
»  
»  
»  
»  
*2. Colonia ad  
Rhenum.*

»  
»  
»  
»  
»  
»  
*3. Lonanij in Bra-  
bantia Vbi Duce de  
Alba Urbem inua-  
dente aufugere  
coactus est relicta  
supellestie.*

»  
»  
»  
»  
»  
»  
*4. Dola in Bur-  
gundia.*



Et priuæ in succum vitæ, communis & vsum  
Cum fruge, & cum laude, domi se præbeat aptum.

*Peregrinationes  
in Gallia, Anglia,  
Belgio, Italia, &c.*

Et quid sudo vias, & iter memorare, viarum  
Ignotus? Cæco color est insomnia tantum.  
Vno multa bolo comprehendo, breuiq; pugillo,  
Quæ vix pro meritis laudata panegyris vno  
Comprendat libro, Cedro insculpetq; perenni.  
Gallia te vidit, te vidit Anglia, linguam  
Vtraq; ceu vernæ, maternam fecit habere.  
Belgium & Italiam transfisti prouidus, imò  
Multa etiam loca, quæ cum nomine nescio fari,  
Barbariem veritus, sileo, doctisq; relinquo.

*Honores Ab anno  
1582. &sq; ad annũ  
1588. R. D. D. Hen-  
rici Iulij Ducis  
Brunsvicensis, E-  
piscopi Halbersta-  
densis Camerarius  
& Consiliarius  
fuit.*

Et quid Musa tuis operata sit vtile cœptis,  
Vita sequens docuit, quando documenta dedisti  
Te non Penelopes sponsum, numerumue fuisse,  
Transmissos Patris nummos consumere natum,  
Aut cœli mutasse situm modò. Sicut arenæ  
Multi sic scribunt studiumque diesque iuuentæ.  
Quomodo consilij charus, studijsque fuisti  
Principibus, memorent alij, nimis ista papyrus.  
Angusta angustas res est comprehendere tantas.

HENRICE Ô IULI testaberis inclute, Præsul  
Halberstadenſis tum temporis, affuit annos  
Ad sex, in Camera primùm tibi, postea fidis  
Idem à consilij. Solida est laus illa profectò  
A dignis quæ laude viris, quæ Principe Magno  
Teste venit; sed cordatis laus cætera sordet.

*Oeconomica ab  
anno 1590. die Lu-  
na post Esto mihi.*

Coniugium, moresque domi si expendis, Ideam  
Coniugis & fidi, fidi Oeconomique pijque  
Exhibeat viam. Vix denos tranſijt annos  
Connubium, & dena Benedictio prole beavit,

*Coniux Elisa de  
Schulenburg. Ver-  
neri p. m. Capita-  
nei Vet. March. &  
Bartha Sophia à  
Bartensleben. p. m.*

(Quattuor in viuis, Deo, adhuc sunt vsque, volente)  
Coniugij sociam SCHVNBURGIDA legit ELISAM  
Se dignam, morum fama, stirpisq; nitentem  
Laude suæ. Quos non Schulnburgica fama pererrat  
Telluris tractus? Quis nomina nescit auorum

Hero-



Heroum pariter belloq; togaq; potentum?

Quis magnum nescit VERNERVM Marchidos oræ

Summa laude virum, summoq; in honore Toparcham?

Quis non audiuit (nisi brutas clausit aures

Ingratus) BARTHAE SOPHIAE pia nomina, stirpis

BARTENSLEBIACAE? cœtus producet egenus

Mille notas fidei quondam Christi ante tribunal.

His ab auis, his se patribus iactabat ELISA

SCHVLNBVRGIS. Nihil vt, ne perdam tempora, dicam

De TRIGA FRATRVM quæ certè in pace & honore

(Faxit Ioua diu bene!) viuit, ad astra, superstes.

Hanc verò vt sociam secuisset Morta securi,

Præ mœrore animi, viduo, vacuoque cubili

Iam decimam ad messem iacuit, plus fleuit & æquo,

Quid conclamatam, plangens, procudere vitam

Me iuuat? ipse mei viuum hoc sum à funere funus!

Me vespillones efferte: Ah luce fruisce

Me vultis Medici? Speratis posse dolorem

Sic sopire meum? luctantse egero, riuu

Certe more, oculos. abijt commune sepulcrum

Deliciarum animi! Ceu Turtur, coniuge rapta,

Multa gemit, viridi nec gaudet fronde, nec vndas

Illimes gustat, curis & mancipat annos.

Tristitia hæc cumulos morborum inuexit, & auxit,

Finijt & vitam dilectæ in amore maritæ.

Hæc etiam lacrumis suffundet funera Turba

Subdita, quæ Patrem sentit, coluitq; benignum,

Et patrem amisit. Quin hinc lacrumisq; rigabit

Ædes sacra domi, cuius stipendia largè

Auxerat, vt, Christi qui iussa doceret, haberet

Pastorem proprium vultu præsentem. Sed ô quid

Denso piæ lacrumas? Sic debuit ire, volente

Christo, qui manibus sortes gerit, & ferit omnes.

Sic etiam morbis affligi debuit, at rem

In sanctam, longeq; aliam ratione sequestra.

*filia: Soror Nobi-  
lis. Et honoratorum  
Dn Leuini, Ioan-  
nis, Ioach. Frider.  
à Schulenburg in  
Bezendorf, Apen-  
burg, VValschlebè,  
Tuchem &c. He-  
redit.*

*Viduitas decenna-  
lis à morte coniu-  
gis 15. Cal. Sextil.  
anno 1600.*

*In Zichto pecu-  
liarem proprijs  
sumtibus pastora-  
tum fundauit.*

Rarò



„ Rarò sorte bona Cœlum Te quærimus! & si  
 „ Quærimus; in somnum tamen inclinamus, in aurem  
 „ Vix aliquid; nihil in cornu mittimus! Hinc at atrocem  
 Mergimur ad Styga securo vitæ amne fluentes.  
 Ergo Deus cruce nos exuscitat, vt cor, & intra  
 Viscera dulcescat verbum, vitemus Auernum,  
 Et cauti cœlos, præscripto calle, petamus.  
 Ergo probas tandem lacrimas delete. Parentis  
 Complet Ioua vicem, lethum cui subiacet ipsum.  
 Hinc nihili curam defuncti corde mouete.  
 Sat felix pater est, ereptus clade triumphum,  
 Inter cœlituum turmas agit, Auspice Christo.  
 In cineres abeat corpus; sed cedit in vsum  
 Corporis, vt surgat sine labe, in luce coruscans,  
 Labes in tumulo verò defossa manebit.  
 Vos pater expectat: vult conuersatio vestra  
 Hic pia sit, cupida & cœli. Sic credite Cœlum  
 Et vobis venale dari, venale sed vnâ,  
 Quæ fidei in Christi meritum fit nota, monetâ.  
 Sic salue æternumque, vale æternumque LVDOLPHE,  
 Et paulum placidæ corpus compone quieti,  
 Vox Christi, tumuli clavis, mox, surge Ludolphe,  
 Dicet, & æternas viuentum consere luces.  
 „ Da Christe audire hanc vocem! sed in audio. vos St!

F I N I S.





AB: 155 199

ULB Halle 3  
004 841 417



TA → OL


09.2001 Bd.











12

IVSTA EXEQVIALIA  
Super funere  
*Magnifici, strenui, nobilissimi, litte-  
ratissimiq; viri,*  
DN. LV DOLPHI AB  
ALVENSLEBEN, HEREDI-  
tarij in Zichtow & Kalbe/ anno clima-  
terico ætatis LVI. ad v. Nonas Quin-  
tilis in Zichtow piè denati, & ad IX.  
Calend. Sextilis hu-  
mandi.

SCRIPTA à  
*TOBIA FERASIO* Crosnâ-  
*Silesio, Pastore Bezendorffiano in*  
*Paleomarchia.*

HELMÆSTADI,  
Typis IACOBI LVCI, Anno  
Epoches nostræ 1610.